



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 49. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO XLIX

*De Apostolorum vocatione.*

Myst. punct. 2.

**C**ONG. Excitare desiderium cognoscendi clarius humilis, & amabilis Jesu in nos charitatem.

PRÆL. I. Quomodo Jacobus, Joannes, Philippus, & Matthæus vocati sint.

PRÆL. II. Aspicere Navim filiorum Zebedæi, locum ubi Philippus cum Nathanaële loquebatur, & telonium Matthæi.

PRÆL. III. Petere gratiam corrigendi vitam suam, & Christum sequendi.

**P**UNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi: reficientes retia. Matth. 4. Philippum verò cum Nathanaële loquentem Joan. 1. Matthæum denique sedentem in telonio. Matth. 9.

**I**NTEL. Consideremus horum ignobilitatem. Nullus aliquod inter homines nomen habebat. Matthæus habebat etiam nomen publicani, & peccatoris. **REFL.** Cogitemus quales nos fuimus, dum fuimus vocati.

**V**OL. Agnoscamus nos fuisse miseros peccatores. Extollamus incredibilem Dei bonitatem in nos. *Commendat autem charitatem suam, Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, vocavit, & liberavit nos.* Rom. 5.

Pun.

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. De Jacobo, & Joanne legitur Matth. 4. & vocavit eos. De Philippo. Joan. 1. Et dicit ei JESUS: sequere me. De Matthæo, Matth. 9. & ait illi: sequere me.

**INTEL.** Ratiocinemur sermones Christi conditos fuisse fructibus Spiritus Sancti: ita ut in eis gustaretur quodammodo, charitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, modestia, fides, &c. Hinc Philippus dicebat Nathanaëli. Joan. 1. *Quem scripsit Moyses in Lege, & Propheta, invenimus JESUM.* **REFL.** Discamus hinc quales debeant esse sermones nostri.

**VOL.** Dicamus culpam nostram, quia in nostris verbis sæpè contrariæ conditiones inveniuntur. *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina hac cogitate,* inquit Apostolus. Philip. 4. Quæ verò cogitamus, illa & loquimur. Sequamur hanc admonitionem.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Christus Jacobo & Joanni dedit nomina *Boanerges quod est filii tonitruui.* Marc. 3. Philippus, significat equestris, Bellicosus, amator equorum. Matthæum à telonio, ad Cœlestes divitias vocavit.

**INTEL.** Ratiocinemur, quomodo omnes illi opere impleverint vocationem, & nomen suum. Jacobus, & Joannes instar tonitruui, Apostolatu suo mundum comoverunt, Philippus, cum Christo Rege suo studuit, sub vexillo ejus inimicos  
ejus

ejus debellare omnes: Matthæus Drachmann  
 Evangelicæ paupertatis invenit, & ad finem us-  
 que conservavit. REFL. Videamus nos quoque,  
 an opera nostra respondeant vocationi nostræ,  
 & nomini Socii JESU.

VOL. Imitemur Apostolos illos; cogitemus  
 quod etiam à Deo simus vocati, *in Societatem fi-  
 lii ejus Jesu Christi, Domini nostri.* 1. Cor. 1. Dil-  
 gamus eum, sequamur eum non *verbo, neque lin-  
 guâ: sed opere, & veritate.* 1. Joan. 3. ut cum  
 Apostolis exaltemur ad gloriam Regis nostri.

COLLOQ. De duobus vexillis.  
 RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO L.

*De Apostolorum vocatione.*  
 Myst. punct. 3.

CONG. Non variatur.

PRÆL. I. Quomodo Christus cœteros  
 Apostolos vocaverit, ut se sequerentur.

PRÆL. II. Videre Regionem Galilææ, & loca,  
 ubi vocati fuerunt.

PRÆL. III. Petere gratiam perfectè militandi  
 sub vexillo Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculos converta-  
 mus ad Apostolos universos; etiam ad illos,  
 quorum vocatio non tam accuratè descripta est.

INTEL. Perpendamus quàm benè de illis dica-  
 tur